



Q. B. V

Docuimus libello superiore, Phasianinum et Tolum, interpretes Fabularum Palaephati Latinos, multis locis aut omnino non, aut certe non satis, assequutos esse, neque adeo declarasse diligenter Latinis verbis, vim sententiamque verborum Graecorum. Quae quidem querelae ut e re ipsa extitisse crederentur, neque ab mala quadam et inepta vituperandi libidine profectae viderentur: attulimus tum locos Mythici nonnullos, in quibus explicandis labi iussisset et peccare vtrumque virum doctum, vel inscitia sermonis Graeci, vel neglegentia et incuria. Sed magnus etiam eorum locorum inuenitur in eodem Palaephati libello numerus, quos facile appareat Phasianinum male interpretatum esse, nulla alia de causa, quam quod ipsa verba Graeca scripta essent a librariis adeo mendose, ut nullus ex iis sensus elici vlllo modo posset, sed quae istorum hominum menda ipse, aut non animaduertisset, aut corrigere et tollere non potuisset. Nam eo quidem Fabulae de Phrixo Hellaque loco *), quo Athamas, Aeoli filius, Hellenis nepos, dicitur Phthiae, opidi Thessaliae celebris, rex fuisse, legendum viri docti verissime docuerunt, vel e Codicibus bonis, vel sponte et ex

D 5

inge-

*) C. 31, 8